



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano accommodata

Hermann Werner <Paderborn, Bischof>

Nevhsii, 1687

Benedictio commnuis [i.e. communis] super fruges.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36005

& gratiarum actio deo Patri & Filio, & Spiritui sancto, & hæc benedictio maneat super hunc locum, & super habitantes in eo, nunc & semper. **R.** Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

Benedictio Domus novæ.

V. Adjutorium nostrum &c. **R.** Qui fecit cœlum & terram.

V. dominus vobiscum. **R.** & cum spiritu tuo.

Oremus.

TEDeum Patrem omnipotentem suppliciter exoramus, pro hac domo, & habitatoribus ejus, ac rebus: ut eam benedicere & sanctificare, ac bonis omnibus ampliari digneris: tribue eis domine de rore Cœli abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ substantiam, & desideria voti eorum ad effectum tuæ miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum benedicere & sanctificare digneris hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac, & Jacob: & intra parietes domus istius angeli tuæ lucis inhabitent, eamq; & ejus habitatores custodiant. Per Christum dominum nostrum. **R.** Amen.

Deinde aspergitur aqua benedicta.

Benedictio Thalami.

V. Adjutorium &c. **R.** Qui fecit cœlum & terram.

V. dominus vobiscum. **R.** & cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedic domine Thalamum hunc, ut omnes habitantes in eo in tua pace consistant, & in tua voluntate permaneant, & senescant, & multiplicentur in longitudine dierum, & ad regna Cœlorum perveniant. Per Christum dominum nostrum. **R.** Amen.

Aspergatur Thalamus aqua benedicta.

Benedictio Communis super fruges.

V. Adjutorium &c. domine exaudi orationem meam &c.

V. dominus vobiscum. **R.** & cum spiritu tuo.

Oremus.

ORamus pietatem tuam omnipotens Deus, ut has primitias creaturæ tuæ, quas aëris, & pluvie temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas, & fructus terræ tuæ usque ad maturitatem perducas. Tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere, ut à sterilitate terræ esurientium animas bonis affluentibus replas, & egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Christum dominum nostrum.

R. Amen.

Aspergat illas aqua benedicta.

Benedictio agni Paschalis.

V. Adjutorium &c. dominus vobiscum.

Oremus.

DEus, qui per famulum tuum moysen in liberatione populi tui de Ægypto, agnum occidi jussisti, in similitudinem domini nostri Jesu Christi, & u-

G

trosq;